Quadragesima integra septem hebdomadas ieiunetur à Græcis iuxtà decretum Telesphori Papæ, Gavanta fol. 47. et Can. 6. Apostolicum, nec ova, nec lacticinia comedant, iuxtà Canon. 56. Concil. Sexti Generalis.

Esus Carnium die Sabbathi Græcis non prohibeatur iuxtà eorum consuetudinem, et Statuta Concilij Florentini et Canon. 55. Concil. Sexti Generalis, et Canon. Apostol. 66. nemo ergò Græcis in Sabbatho esum Carnium, neque Latinis Sabbathi ieiunium exprobabit, sed iuxtà sententiam S. Nili (de quo Baronius) rectè interpretabitur utriusque Ecclesiæ consuetudinem.

Genuflexiones Græci suo more faciant quæ solis festis, et Dominicis diebus prohibentur Can. 90. Concil. Sexti Generalis.

Omnia de Instituto suæ Ecclesiæ ieiunia, præcipuè antè aduentum Christi, tum ieiunium Apostolorum quod terminatur festo sanctorum Petri, et Pauli tum Ieiunium in Augusto quod terminatur festo Beatæ Virginis Assumptionis omninò Græci observabunt.

8. Omnia festa mobilia, et Immobilia iuxtà Kalendarium vetus Græci celebrabunt, et iuxtà sua Typica, neque ad celebrandum festa Romanæ Ecclesiæ, et ad mutationem Kalendarij compellantur.